

tionem suam desiderabat & quem ille ipse partim nequidem noverat, a dexteris a me usitatis operariis fieri curavi, meis propriis negotiis interea neglectis (per 8 dies suspendebam eius rei gratia mea collegia). Et talis mihi inde resultabat gratiarum actio, tale mei iudicium, idque ab homine, qui sane eius censuræ compos non erat. Cum enim prima vice illum in musæum meum rerum naturalium introduxissem, miserrimum eum esse hospitem in rebus naturalibus cognoscendis in limine statim deprehendebam. In Bernhardo Eremita singularem testæ configurationem et investituram adesse fingebat, qui tamen parasita testæ vulgo est suæ, & dubium admodum sit num a nativitate ipsis testula quædam adhæreat. Pyritem aurei coloris pro pretiosa minera aurea habebat. Unde ego quidem, ne illum ad erubescentiam redigerem, plane silebam. De eius adeoque dexteritate in describendis subjectis naturalibus numquam curiosus fui specimen aliquod conspiciendi. Ejusmodi vix Tyro Naturalista habendus me ita iudicaret & calumniaretur? De calumniis semper aliquid hæret. Conticui tamen eiusque calumnias despiciatui habui. Silui adhuc tum de eius propria ignorantia. Denique ille me ipsum denuo brevi tempore ante abitum conveniebat. Quia durum mihi est naturalem meam humanitatem exuere, amicissime eum nihilominus excipiebam. Sed ille truculentam & ita exacerbata faciem monstrabat. (Habebat mē enim semper pro autore recepti Crameri & rejecti inde Falkii, qui tamen, quod per deum testor, ille plane non eram.) Missis tum præambulis ille tanta jurgia in me evomere incipiebat, ut ego fere credidissem eum delirare vel mentis compotem non esse. Regerebam: illa jurgia & convicia non pertinere ad me sed ad Ascanium, autorem eius rei, eique illa esse indicanda. Me ceterum plane non esse adsuetum eiusmodi conversationis modo. Ille nec dum desistebat. Patientia tum denique et apud me deficiebat. Obloquor tum: Qui Tu poteris ita in propria mea domo me innocentem insultare, cum ego Te tamen potius castigare debeam propter calumnias de me apud aulicos et in urbe disseminatas? Numne scis, Te in ea re egisse contra jusjurandum Tuum, quod Te obstringit,